



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Decimaseptima Post Trinitatis, Evangelivm Lvcae 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

POST TRINITATIS 91

Agnitionem Christi sequitur confessio, & prædicatio, deniq; noui motus in animis hominum. Huc pertinet, quod ait Euangelista, Timor coepit omnes, & glorificabant eum.

DOMINICA DECIMASEPTIMA POST TRINITATIS, EVANGELIUM LVCAE 14.

ET factum est cum introisset Ihesus in domum cuiusdã principis pharisæorum sabbato, ad manducandum panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Ihesus, dixit ad legisperitos & Pharisæos, dicens, Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt, & apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit, Cuius uestri asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati? Et non poterat ad hæc respondere illi.

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos
I accubitus

DOMI. DECI. SEPTIMA

accubitus eligeret, dicens ad illos, Cum inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is, qui te & illum uocauit, dicat tibi, Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum habere. Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi, Amice, ascende superius, Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, Quia omnis qui se ipsum exaltat, humiliabitur, & qui se ipsum humiliat, exaltabitur.

TRES SVNT PRAE- cipui loci.

- I. De sabbato, quae sit propria & principalis sententia praeccepti.
- II. Quae sint propria sabbati opera.
- III. De humilitate, de uocatione, & de ambitione.

DE PRIMO.

VT primum praecceptum loquitur de agnitione Dei, & motibus cordis erga Deum. Secundu-
dum de

POST TRINITATIS. 92

dum de confessione oris, & predicatione doctrine. Ita tertium loquitur de publicis ceremonijs diuinitus institutis, hoc est, de toto publico ministerio. Nam dies certa constituta est ad hunc finem, ut sint publici congressus, in quibus doceantur coetus predicatione Euangelij, & ceremonijs. Vtrumq; enim intelligendum est, quia ceremoniae sine doctrina transformantur in superstitionem. Quare cum nominatur Sabbatum, intelligantur omnes ceremoniae diuinitus institutae, Et sciamus praecipui conseruationem publici ministerij, doctrinae, & ceremoniarum, quas Deus instituit, Ad illud publicum ministerium opus est aliquo tempore certo. Est igitur Sabbati obseruatio non ocium eius diei, sed ut textus inquit, sanctificatio, id est, collocatio, in operibus sanctis, uidelicet in ministerium diuinum. Violant igitur hoc tertium praecipuum, primum hi, qui praesunt, si non doceant, aut negligant doctrinam, aut non recte doceant, Deinde qui negligunt aut deprauant ceremonias diuinitus institutas, ut, qui missas legunt ut offerant pro alijs aut questus causa, aut qui alias superstitiones exercet. Peccat ite populus, uel qui nunquam audit, uel raro audit pias cociones, aut nunquam, aut raro interest

1 2 publicis

DOMI. DECI. SEPTIMA

publicis cæremonijs. Etsi enim in nouo Testamēto, dies certa non est præcepta, ut in lege diuina, tamen qui ex contemptu abest, aut suo exemplo confirmat aliorum negligentiam, is grauitèr peccat. Sicut memorabile exemplum extat Ieremie 17. ubi Propheta obiurgat eos, qui in sabbato per portas conuehebant merces, id est, negociabantur neglecto ministerio, Et additur comminatio, Succendam ignem in portis &c. Et rursus additur promissio. Si sanctificabitis sabbatum, intrabunt per portam Reges & principes, id est, habebitis regnum florens &c. Quia Deus uult singulos adiuuare conseruationem ministerij. peccat item populus, qui sua præsentia confirmat impios cultus. peccant & illi, qui impediunt ministerium publicum, quia stipendia debita ministris aut eripiunt, aut conferre nolunt. peccant item, qui neglecta cura meditante doctrinæ Euangelij, conferunt sabbata in occupationes prophanas, aut ludos, aut alia, quæ abducunt animos à pia meditatione. Iam cogitet quisq; quàm latè pateat uiolatio sabbati, nec putemus leue peccatum esse, contemptum publici ministerij.

DE SECVNDO.

Historia

POST TRINITATIS. 93

Historia de curato Hydropico ostēdit quid sit obseruatio sabbati. Non enim præcipit lex simpliciter de ocio sabbati, sed prohibet opera impediētia ministerium publicum. Cæterum præcipit sanctificationem, id est, certa opera diuini ministerij. Quare hæc actio Christi, fuit uerè obseruatio sabbati & sanctificatio. Nam Christus hic concionatur, & addit opus, quod est testimonium doctrinæ. Hæc enim sunt propria opera conuenientia Sabbato, cōcio Euāgelij, meditatio Euāgelij, exempla pia, propriè adiuuantia ministerium. Aliàs etiam concionatur Christus de alijs operibus quibusdam, quæ conueniunt sabbato, ut necessaria officia dilectionis. Machabæi in Sabbato pugnabant, & quidem prælia illa dupliciter Sabbato conueniebāt, & quia erant confessio doctrinæ, & conseruatio sabbati & legis, & erant opera necessaria dilectionis.

DE TERTIO.

Humilitas est timor Dei, hoc est, agnitio nostra imbecillitate, uerè metuere iram DEI, ne indignos aut parum idoneos abijciat, sed tamen in uocatione DEO parere, & iudicare

l 3 dona

DOMI. DECI. SEPTIMA

dona nobis dari ad communem utilitatem, nec
euentus sine Deo scælices esse, nec cæteros despici-
ciendos esse, cum possint fieri utiliora organa
DEI. Ad hanc uirtutem accedere debet fides,
que in uocatione petat & expectet auxilium à
DEO, sicut sepe docent Prophetæ. Psalmo 26.
Expecta Dominum, uiriliter age, & confortetur
cor tuum, & expecta Dominum. Talis erat
bellator magnanimus Dauid, & tamen erat hu-
milis, agnoscebat infirmitatem suam. nec des-
piciebat cæteros, ut Goliath despiciebat mino-
res. sed Dauid uocationi parebat, & expecta-
bat à DEO auxilium. Econtra superbia est fi-
ducia propriæ industriæ, neglecto DEO, &
neglecta meta uocationis, ut, Goliath, Senache-
rib, confidunt uiribus suis contempto DEO,
Nabugdonosor, Alexander placent sibi, & ex-
istimant sua uirtute parta esse tanta imperia,
nec agnoscunt nec timent Deum. Ideo & in alijs
delicta securi ruunt, ut, Alexander polluit se
multiplici turpitudine, Alij appetunt superiores
res uocationes. Nam superbia multipliciter se
declarat, ut Absolon, Cassius, Antonius. Alij pec-
cant non agnoscetes dona superioris in alijs, ut
Agamemnon qui superior est loco, non agnoscit
Achillem

POST TRINITATIS. 24

Achillem uirtute superiorem esse. De his omnibus traditur hic regula. Omnis qui se exaltat humiliabitur. Idque ostendunt tragici casus prestantissimorum uirorum, ut Saulis, Goliath, Senacherib, Pompei, Agesilai, Alexandri, Antonij. Imo in Ecclesia precipue fit humiliatio, quia iudicium a domo DEI incipit, ut ostendunt insignia exempla sanctorum, Samsonis, Davidis, Nabugdonosor, et aliorum qui ex alto fastigio delapsi sunt, ut agnoscerent suam infirmitatem, et conspiceretur potentia DEI, et misericordia Dei, ut in Dauide deiecto et restituto. His exemplis utrumque discamus, uidelicet timorem DEI, agnita nostra infirmitate, et fidem in obedientia uocationis. Discamus item nos continere intra metas uocationis.

DOMINICA DECIMA OCTA
TAVA POST TRINITATIS,
EVANGELIUM
MATTHAEI. 22.

PHARISAEI autem audiētes, quod silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in unum, Et interrogauit

4 gaus